12

G. C. I.

DE

PATRICIORVM VETERVM MOGVNTINENSIVM *FAMILIIS, DISCRIMINE, IVRIBVS, CONTENTIONIBVS, FATIS,* COMMENTARIOLVM.

G.C.I.



OBtigere mihi ante hos octo annos duo libelli, sermone uernaculo confecti, iique manu scripti. Alter agebat de *funesto* illo, *Dietherum Isenburgium* inter & *Adolfum* Nassouium, de Archiepiscopatu Moguntino infestis animis & armis decertantes, *dissidio*: alter *de statu ciuitatis Moguntinensis ante & post intestinos* illos *motus*, ad uniuersam illius perniciem, ut euentus docuit, gliscentes; ab anno scilicet MCCC ad annum usque saeculi sequentis XXX.

Vterque, praesertim posterior, loco non uno *de Patriciorum ueterum Moguntinensium* simul agebat *familiis*, *discrimine* itidem eorum, *iuribus*, *contentionibus ac fatis*; strictim quidem & in compendio; satis tamen plane, praecipuisque rerum capitibus in medium allatis.

Inde consilium cepi, omnem de hoc argumento narrationem exinde excerpere, excerptam in commentariolum quoddam conferre, & tum ueste latina donare, tum nonnullis ad rem facientibus, quae mihi aliunde bona sors obiiciebat, augere iuxta illustrareque. Quod etiam, quantum per alia licuit negotia, horis subseciuis factum; ut alibi iam* me dicere memini.

* Praefatione scilicet, *Rebus Moguntinis* generatim praemissa, § VI p. 19.

Quamuis autem dubius haeſerim, an melius ſit, ſatiusque, id ipſum, tanquam foetum rudi adhuc facie atque imperfectum, premere, uel potius aeternis damnare tenebris, quam ex iis in lucem proferre, publicoque iuri concedere; monitis tamen amicorum locum denique reliqui, & oblata mihi hic occaſione in uulgus illud edere conſtitui.

Quod dum facio, non deſpero, licet id genus Ariſtarchis haud ſatisfecero, qui uel in admirationem ſui tantum conuerſi ſunt, ac ſe ſolos ſapere credunt; uel inuidia ducti alienis obtrectare ſolent laboribus; fore tamen, ut iis, qui litterarum ſacris ex lege charitatis, aequitatis, prudentiae, & modeſtiae operantur, non omnem fruſtra luſiſſe uidear operam.

DE

DE *PATRICIIS MOGVNTINENSIBVS* COMMENTARIOLVM.

I

MOguntiae olim, haud secus ac in aliis S. R. Imperii ciuitatibus complures Patriciae erant gentis. Qui tametsi ciuium habebantur numero, in nullam tamen tribuum (quarum XXIX erant) referebantur.

II

In his fuere

I *Zum Iungen.*

Latine, *de Iuueni.* Qua fini adducere placet clausulam litterarum, quibus *Philippus* de *Hohenvels* anno MCCXCVII, tertia feria ante dominicam usu ecclesiastico *Laetare* dictam, profitetur, *Helfricum* dictum *Walt*, eiusque fratres nec a se, nec a maioribus suis aduocationem uillae *Filsbach* nexu tenuisse fiduciario. Sic autem ibi; —— *praesentibus* Hermanno *de* Bygen, Marquardo *de* Badenheim, *Militibus*, " Petro *de* Iuueni, Iohanne *de* Rana —— *ciuibus Moguntinis.* Litterarum itidem partem, quibus *Conradus*, ad *D. Albani* Abbas, eidem anno MCCC omnia monasterii bona, reditus, census & prouentus in uilla *Treys*, eiusque tractu uendidit: *Nos* Conradus, *diuina bonitate monasterii* S. Albani *prope Moguntiam Abbas* —— *quod nos uniuersa & omnia bona nostra, nec non reditus, census* —— *quae & quos in uilla & terminis uillae* Treys, *Moguntinae dioceseis, iuxta uillam* Funthene *sitae*, ——*uendidimus* Petro *dicto* Iuueni, *ciui Mogunt. amenti* cet. Vid. *Chronicon Santalbanense* lib. I sect. II p. 767.

II *Berwolfe.*

E quibus mihi occurrit *Itelius Hermannus Berwolf*, an. MCCCLXXV Spiram missus, ad motus intestinos componendos. Vid. *Lehmannus* lib. VII *Chronici Spirensis* cap. LV p. 726. Item *Berwolf*, notus lite, quae ei anno MCCCCXV intercedebat cum *Ioanne Kesselhut* de *Scheim.* Ceterum, quod hic ad annum MCCCCXXX prouixerit, & is ipse sit, qui infra litteras *Conradi III* Archiepiscopi suo inter alios muniuit sigillo, prorsus mihi uidetur probabile.

III *Zum Blaſoven*, ſiue *Blasofen.*

E quibus mihi ſubiere *Anzo* dictus *zum Blasofen* & *Philippus* zum *Blaſoven*; *ille*, in tabellis teſtamentariis *Emelrici* de *Pinguia*, Vicarii ad *D. Ioannis*, an. MCCCXXV d. II April. editis, his uerbis: *Nec non ſuper his manufideles ſeu executores ſui teſtamenti huiusmodi, uidelicet —— ac etiam prudentem uirum*, Anzonem *dictum* zum Blasofen, *ciuem Moguntin. —— —— abſentes tanquam praeſentes, ordinauit* cet. Vid. *Chronicon* Collegiatae huius ad *D. Ioannis* § XII p. 702. *Hic*, in aliis, quibus *Hermannus* de *VVannebach* an. MCCCXXVII d. VI Martii monaſterio *D. Clarae*, uulgo *der reichen Clariſſen*, donatione inter uiuos contulit uarios in ciuitate Francofurtenſi cenſus. Contulit enim eos coram *Henrico* dicto *de Friburgo*. *M. Conrado* de *Auguſta*, Clerico, ciue Moguntino, *Petro* dicto *zum VValdertheymer*, & *Philippo* zum *Blasoven*, ciuibus Moguntinis. Vid. diſſertat. *de Coenobio earum* § VI p. 874.

IV *Walpoden.*

E quibus *Arnoldus* an. MCCLIII Moguntiae Iudicis obiit munia, id quod legas in litteris *Philippi* de *Hohenvels* & *Ciuitatis Moguntinae* h. a. II Non. Febr. datis; quippe in quibus inter fideiuſſores ſiue ſponſores, quas haec illi dedit, ſunt, *Fridericus* Scultetus, dictus *de VValdertheym*, *Arnoldus VValpodo*, *Chriſtianus* dictus *de Rana*, *Humbertus* dictus *de Ariete*, *Iudices*. Biennio poſt Ciuitatibus Rhenanis auctor fuit meundi de ſecuritate publica aduerſus praedones ac uiarum obſeſſores tuenda foederis. Sic enim *Albertus Stadenſis* ad annum MCCLV p. m. 320; *Anno MCCLV quidam ualidus ciuis in Moguntia coepit hortari conciues ſuos, ut pro pace reſtauranda iuramento ſe inuicem conſtringerent. Conſenſerunt ei & aliae ciuitates plurimae. Vocarunt eum* Walbodonem. Iisdem fere temporibus ſociis etiam e *D. Dominici* familia Moguntiae templum ſuo excitauit ſumtu. Vid. diſſertat. *de monaſterio eorum* § I & III p. 850. Obiit an. MCCLXVIII, Id. Nouembr.

Cognominabantur etiam *zum Silberberg.*

Vnde huc, ni fallor, referre licebit *Nicolaum* zum *Silberberg*, Cantorem ad *D. Victoris* an. MCCCXXV, MCCCXLIX. Vid. Chronicon *Collegialis huius* ſectione II p. 638; *Henricum* de *Silberberg* (nonnunquam *de monte argenteo*) Cantorem ad *D. Petri*, mortuum an. MCCCLV, d. XXI Ianuar. Vid. *Chronicon Petrenſe* ſectione II p. 508; *Iacobum* zum *Silberberg*, ad *D. Victoris* Scholaſticum, fatis functum an. MCCCLXIII. Vid. *Chronicon* dictum l. d. p. 633.

V *Zum Humbracht.*

E quibus *Henkinus* zum *Humprechte* Scabinus fuit Hexhemii an. MCCCXLI, teſtibus litteris a. h. ſignatis.

VI *Gelthus* zur *jungen Alen.*

Forte ex his *Adamus* ille *Gelthus* fuit, qui *Ioanni Gensfleiſch* hoc ſcripſit epitaphium:

D. O. M. S.

Ioanni Gensfleiſch, *artis impreſſoriae repertori, de omni natione & lingua optime merito, in nominis ſui memoriam immortalem* Adam Gelthus *poſuit. Oſſa eius in eccleſia* D. Franciſci *Moguntiae feliciter cubant.*

Ceterum *Ortlieb* zum *Gelthus* an. MCCCLXXV Spiram miſſus fuit, ad modum diſſidiis inteſtinis imponendum. Vid. *Lehmannus* l. d.

VII *Fürſtenberg.* Quorum domus haud procul aede *D. Quintini* fuit.

Ex his *Hermannus Fürſtenberg* occurrit infra in litteris *Conradi* Archiepiſcopi. *Henricus Fürſtenberg* ſororibus *D. Mariae Magdalenae*, uulgo *Albarum Dominarum* appellatione notis, an. MCCCCLXXV, XXX florenos ad templi ſtructuram tum reparandam, tum exaltandam erogauit. Vid. diſſertat. *de coenobio earum* § IX p. 869. *Petrus Fürſtenberg*, una cum ſorore *Margaretâ* (Gredigin) *Adami Gelthus* uidua, an. MCCCCLXXVII, coram *Diethero Billung*, Sculteto, *Camerae*, ut uocari ſolet, *praeſentiali* tradidit curiam *zum alten VValpoden*, in uico *die Grefengaſs* dicto.

VIII *Zum gulden Schaf*; ſiue, *ab aurea oue*, ut in litteris antiquis eſt*. Quorum aedes fuit *bevm Brand.*

* E. g.

* E. g. in illis, de domo hoſpitali, quae nunc *Spiritus S.* uocatur, an. MCCCVII, *in craſtina octauae Pentecoſtes* ſcriptis: *Nos* Conradus, *Plebanus*, Iohannes *dictus* zum Clemanne, *Scultetus Moguntinus*, & "Reynoldus *dictus* de aurea oue, *Rectores Hoſpitalis pauperum infirmorum in Maguntia* —— Ceterum occurrit *Ioannes Guldenſchaf*, ad *D. Stephani* Decanus, ab an. MCCCCXXXVI ad an. usque MCCCCXLIX. Vid. *Chronicon Collegialis huius* ſect. II p. 556: quem ſine dubio huc referre licebit.

IX *Zum Mulbaum.*

Latine, *de Moro.* Sic enim in litteris *Philippi* de *Hohenfels* ſupra citatis: *praeſentibus* —— Ortliebo *de* Moro, Volgmaro *filio quondam* Volgmari cet.

X *Schenckenberg.* Quorum domus poſtea ICtis ad praelectiones habendas ceſſit.

XI *Zum Liechtenſtein*, prope aedem *D. Quintini* memoriae & honori ſacram.

XII *Zur Eiche.*

E quibus duo ſub finem ſaeculi XIV Moguntiae conſulari dignitate functi ſunt, *Orthe* uidelicet *zur Eiche*, iunior, & *Rudolfus* zur *Eiche*. *Ille*, anno MCCCXCIV. Sic enim litteris *Conradi II* Archiepiſcopi h. a. ciuitati datis olim adſcriptum: *Dieſen briff hat der vorgenante Ertzbiſchoff* Conrad *off* Sant Bartolomeus *tag in dem Tiergarten* —— Heinrich *zum* Iungen *von des Raits vvegen, in geinvvertigkeit der vier Burgermeiſter, mit namen,* Iorge Waldertheim, *der alte*, Iacob Medetroſt, "Orthe *zur* Eiche, *der junge*, *vnd* Menche *zu* Hirtzberg *globit mit ſine lipliche trouvve in ſine hant ſtete vnd veſte zu halten. Hic*, anno MCCCXCVII. Sic enim litteris *Ioannis II* Archiepiſcopi a. h. Ciuitati Martis poſt *OO. SS.* memoriam datis ſimiliter olim ſubſcriptum: *Diſen brieff hat Biſchof* Iohann *von* Naſſavve —— *vff dem Hofe mit ſinen liplichen truvven Herrn* Henrich *zum* Iungen, *von des Rats vnd der Stede vvegen von Menze, in ſine hand globt veſte vnd ſtede zu halten, in geinvvertigkeit* —— *vnd Her* Iohans *zum* Iungen, *Her* Iohan Rinvvaden, *Her* "Rudolff *zur* Eiche, *vnd Her* Iohan Rymenſnyders *vff die tzyt der Stede zu Mentze Burgermeiſter. Otho* zur *Eiche*, *Rudolfi* filius, occurrit infra in litteris *Conradi* Archiepiſcopi.

XIII *Zum Rebſtock.*

E qua gente nobis ſubit infra in dictis modo *Conradi III* tabulis *Heinze* zum *Rebſtock*.

XIV *Liechtenberg.*

XV *Roſenberg.*

Qua familia ortus fuit *Hermannus Roſenberg*, Decretorum Doctor, Scholaſticus *ad gradus* an. MCCCCXLIII; an. MCCCCL factus Vicarius in ſpiritualibus ſiue eccleſiaſticis generalis, & poſtea etiam ad *D. Petri* Scholaſticus, mortuus anno MCCCCLX. Vid. *Chronicon* Collegialis ad *B. M. V.* ſect. II p. 679 & ſeq. Eadem genitae *Ottilia Roſenberg*, parthenonis *Albarum Dominarum* ſaec. XV Antiſtita, & *Anna Roſenberg*, eius ſoror, *Ioannis* zum *Iungen* uxor; de quibus uid. diſſertat. de hoc *Albarum Dominarum* monaſterio § IX p. 868, & § XII p. 870.

XVI *Lehnheim.* Quorum domus poſtea *zur groſſen* & *kleinen Trummen* uocatae.

XVII *Nuſsbaum.* Quorum aedes curiae Hanouienſi contiguae fuerunt, haud procul templo *D. Emerani* memoriae dicato.

Iacobus dictus *Nuſsbaum*, *Cantor* ad *D. Petri* & *Magiſter campi*, qui nobis, ut alibi iam adnotatum, an. MCCCLXVIII & MCCCLXXXIV ſubiit, hac forte prognatus fuit ſtirpe.

XVIII *Zum Landeck.* Cognominabantur etiam *zum Korb*, ab aedibus, quarum poſſeſſores erant, *zum Korb* uulgo dictis.

Ex his *Conradus* zum *Korb* ſub an. MCCXC monaſterium *D. Agnetis* ſuo exſtruxit aere. Sic enim in libello, quem hic ſequor, *de diſſidio* iſto *inter duos Archiepiſcopos*: *Die* Landecker. *Das haus iſt in der* Grebengaſs. *Dieſen hat das haus* zum Korb *gehört. Deren einer hat das Cloſter zu* S. Agnes

Agnes *fundirt, anno circiter* 1290. *Hat geheiſchen* Conrad *zum* Korb, *daſelbſt begraben* 1299. Vid. diſſertat. de hoc *D. Agnetis* parthenone § I p. 875.

Saeculo ceteroqui XIV uixere *Eberhardus* zum *Landeck*, Scultetus in Brizenheim an. MCCCLVII, ut litteris quibusdam antiquis h. a. ſignatis manifeſtum fit. Tum uero *Orto* de *Landeck*, pater, & *Iacobus* de *Landeck*, filius; quorum in dicta *D. Agnetis* aede monimenta etiamnum ſuperant. In ſacello enim *D. Michaelis* lapis eſt *Ortonis* de *Landeck*, patris; ad fornicem uero cryptae, quae ad murum patet, *Iacobi* filii, cum hac ἐπιγραφῇ: *Anno Domini MCCCLXI ob.* Iacobus *filius* Ortonis *de* Landeck, *ciuis Mog.*

XIX *Malsberg.*

XX *Herold.*

XXI *Boderam* zum *Salmen.*

E quibus *Frielo* de *Boderam*, anno MCCCCII, V Id. Octobr. uita defunctus, beneficio non uno *Eremum* in monte *S. Michaelis* auxit. Vid. diſſertat. *de clauſtro* hoc *Carthuſianorum* § XI p. 836.

XXII *Zum Baumgarten.*

XXIII *Gensfleiſch* von *Sorgenloch.*

E Patriciis dictis nominis haud ultimi. Ni fallor, *Petrus Gensfleiſch* & *Georgius Gensfleiſch*, qui infra in litteris *Conradi* occurrunt, ſolum mutare maluerunt, quam de iure ſuo concedere. Eodem alioquin tempore *Iacobus Gensfleiſch* ſacris inclaruit honoribus. Ad *D. Victoris* enim Scholaſticus fuit. Vid. *Chronicon* Collegialis huius ad *D. Victoris* ſect. II p. 634. *Ioannes* uero *Gensfleiſch*, arte typographica diuino auſpicio inuenta atque excogitata, aeternum ſibi peperit nomen. *Is* enim & *Ioannes Gudenberg* unus idemque eſt*. Quo minus dubites, apponam uerba, quae ampliſſimae Vir dignitatis, *Marcus Antonius* a *Kraft*, olim e tabulis an. MCCCCXLI, VIII Kal. April. & an. MCCCCXLIII, XV Kal. Decembr. confectis, ac *aedis Thomanae* Argentoratenſis libro Salico B) f. 293 a) & f. 302 b) inſertis, deſcripſit: Ioannes *dictus* Gensfleiſch, *alias nuncupatus* Gutenberg, *de Moguncia, Argentinae commorans.*

* *Non autem* Ioannes Gensfleiſch & Ioannes Fauſtus, *ut perilluſtris* Leibnitius *olim coniecit, ac in monitis, quae Viro-iuueni cuidam praenobiliſſimo*, de re typographica *diſſertationem ſcripturo, dedit, his prodidit uerbis*: Quis *Iohannes Gensfleiſch*, etiam inquirendum eſt. Suſpicatus aliquando ſum, *Iohannem Fauſtum* fuiſſe eum eo eundem, & nomen hoc parum placens in aliud mutaſſe, ſumtum a felicitate.

Ceterum hic praeterire nequeo (facit enim ad rem) quod in uetuſto quodam Calendario, ſiue libro Ciuitatis Moguntinae foenebri olim f. 74 in hanc uerborum ſententiam adnotatum eſt. *Item, als* Hengin Gudenberg, Frielen Genſſefleiſchen *Son, XIIII gulden ierlicher gulten uff leptage* Frielen *ſins bruders gehabt hat, do vvil er nu forter alle iare ſin leptage uſs nit me nemen, dan zvvolff gulden an golde, vnd daruber hat er eynen nuvven brieffe, der ime zuſtet, vnd den alten brieffe hat er ubergeben, vnd auch off die obigen zvvene gulden genzliche zu dorchtedig off verziegen: vnd fellt yem die gulte halber off* Sant Katherinen *dag, vnd halber off* Sant Vrbans *tag. Actum off Sontag nehſt nach* Sant Vrbans *tag, nach Gots geburte duſent vier hundert vnd in dem vier vnd dryſſigiſtem iare.*

XXIV *Wertheim.* Quorum domus iuxta portam lignariam.

Ioannes VVertheim, Moguntinus, Cantor ad *D. Victoris* & *S. Ioannis*, ob. an. MCCCCLXXVIII, d. XVII Aug. Vid. *Chronicon* Collegiatae ad *D. Victoris* ſect. II p. 640.

XXV *Apothecker.* Quorum aedes in uico, qui *die Brandgaſſe* dicitur (f. rectius *zum Brand*) retro domum ad inſigne trium coronarum.

XXVI *Gaſtenhöfer.* Qui in diuerſos abiiſſe uidentur ramos. Reperiuntur enim *Gaſtenhöfer*, dicti *Völcker*; *Gaſtenhöfer*, dicti *Franckenſtein*; *Gaſtenhöfer*, dicti *Roſs.*

XXVII *Zum Froſch.*

Ex his *Chriſtianus* de *Rana* an. MCCLIII Iudicis obiit partes, ut in litteris, quas ſupra n. IV citaui, uidere eſt. In aliis an. MCCXCVII, quas n. I in medium attuli, occurrit *Ioannes* de *Rana.*

XXVIII *Wal-*

XXVIII *Waldertheym*, item, *zum Waldertheymer*.

Ex his duo saec. XIII Sculteti gessêre munus; *Fridericus* dictus *de VValdertheym* an. MCCLIII. Vid. supra n. IV; *Iacobus* de *VValdertheym* an. MCCLXXXII. Vid. dissertat. *de monasterio sororum* D. Clarae § IV p. 872; *Georgius* uero de *VValdertheym* an. MCCCXCIV fuit Consul. Vid. supra n. XII.

XXIX *Zum Cleman.*

Ex his *Ioannes* zum *Clemanne* an. MCCCVII Scultetus fuit ac Rector domus hospitalis ad *Spiritum S.* Vid. supra n. VIII.

XXX *Scherpelin.*

N. *Scherpelin* an. MCCCXVIII Spiram missus est, ut, iuxta cum Vormatiensium ac Oppenheimensium delegatis, litis Spirensium cum *Dynasta* de *Ochsenstein* & ciuitate *Landauia* finiendae arbitrum ageret. Vid. *Lehmannus* lib. VII *chronici Spirensis* cap. XXIV p. 670. N. *Scherpelin* an. MCCCXXXII fuit Iudex. Vid. *Chronicon* Collegiatae ad *D. Victoris* sect. I § XXIX p. 606. *Ioannes Scherpelin*, ad *D. Victoris* Scholasticus, legauit an. MCCCXLIX testamento suo *ad praesentias* quinque iugera terrae arabilis ante urbem *an der Steige*. Vid. dictum *chronicon* sect. I § XXXI p. 607, sect. II p. 633.

XXXI *Zum Weidenhof.*

Ad quos sine dubio genus retulit *Nicolaus* zum *VVeidenhof*, an. MCCCLV & seq. Cantor ad *D. Petri*. Vid. *Chronicon Petrense* sect. II p. 508.

XXXII *Windeck.*

Familiae huius fuisse uidetur *Ebirhardus* de *VVindeck*; de quo in censuali quodam antiquo; *Item IX solidos dat* Ebirhardus *de* Windeck *von dem Hus zvvischen dem* Herrn *von* Erbach *vnd* den Wissen Brüdern, *gein dem* alten Herzog *uber*.

XXXIII *Reysen.*

Heinze Reysen subit nobis infra in litteris *Conradi.*

XXXIV *Hirtzen.*

Hennen Hirtzen occurrit infra in eisdem.

XXXV *Volgner.*

E quibus *Volgmar*, filius quondam *Volgmari*, testibus adscriptus est in litteris *Philippi* de *Hohenvels*; de quibus supra n. I.

Praeter hos autem & alios adhuc *Patriciis* adnumerari uideo; e. g. *Bechtelmüntzer*, *Nessen*, *Schlüssel* von *Arde*, *Rorbach*, *zum Lamb*, cet.

III

Vocabantur generatim *die Alten*. Ceteroquin autem duplicis erant generis. Alii enim *Socii monetarii* appellabantur, *Müntzgenossen* uulgo; *Sodales* itidem *domus ad Vituarium*, uulgo *Hausgenossen im Thiergarten*; Alii solum dicebantur *Vnzünftige*, hoc est, in nullam relati tribum.

Tum uero nonnulli eorum nobilitatis insigniti erant dignitate, decoribusque; alii non item; sed plebeiorum tantummodo ciuium numero, quod & stirpis antiquitate ac opum copia florerent, exempti: quos adeo *uulgariter tales*, siue, si mauis, *secundi ordinis*, *minorum* item *gentium*; uti illos *maiorum gentium* Patricios dixeris.

IV

Nobilium ordini adscripti fuere *zum Iungen*; *zum Humbracht*; *Landeck*; *Gensfleisch*; *Malsberg*; *Gelthus zur jungen Alen* cet.

V

Fruebantur autem hi utriusque generis Patricii, uulgo *die Alten* dicti, antiquioribus saeculis insignibus admodum praerogatiuis.

(*a*) Primum enim peculiare quasi corpus constituebant, & potissima pars senatus erant ciuici. Quippe deligebant suo e gremio, suis ipsi suffragiis Praetorem urbanum siue Scultetum: quatuor ciuitatis Iudices; duos itidem Consules primarios; & XXII Senatores. Officiorum praeterea publicorum alteram ipsi administrabant partem.

(*b*) Vt ciues plebeii portas urbis custodiebant, ac turres, ita ipsi equo, cum uel ab Imperatore euocabantur, uel a sociis Ciuitatibus, merebantur. Ipsi etiam id habebant honoris, ut in sollemni Archiepiscoporum uel Principum aliorum in urbem introitu, equo uecti, loricatique, obuiam eis irent, ac reuerenter exceptos in urbem deducerent.

VI

Sigillatim illi, qui appellabantur *die Müntzgenoſſen*, item *die Hausgenoſſen im Thiergarten*, peculiaribus adhaec longeque amplioribus ornati erant priuilegiis.

(*a*) E. g. lege statutum erat, si casus ita ferret, ut eorum quispiam de re quadam ciuili in ius uocandus esset, ut ad monetae uocaretur Magistrum; nec prius in iudicium uel ecclesiasticum traheretur, uel ciuile, nisi uel ille uadimonium desereret, uel hic actori aequitatis denegaret partes ac iustitiae.

> Quod ut hoc planius pateat, adferam partem tabularum, quibus *Conradus III* hoc ipsis beneficium an. MCCCCXXXIII, dominica festam *D. Mariae Magdalenae* lucem praecedente stabiliuit ac denuo confirmauit. *Wir CONRAD — en bieten den — vnſern geiſt-vnd vverntlichen Richtern zu Mentze —— Wievvol es iſt, das — vnſere vnd vnſers Stiffts Huſſgenoſſen zu Mentze — vnter andern ihren freyheiten, gnaden, priuilegien, vnd herkommen, herbracht vnd behalten haben, das niemants — ſie oder ihr keinen vmb keinerley vverntliche ſachen für keinem vnſerm Gericht oder Richtern zu Menze, geiſtlich oder vverntlich, fürheiſchen — oder anlangen ſolle oder moge, der anſprecher habe dan den oder dieſelben vnſern Huſſgenoſſen, zu dem er zu ſprechen hette, 6 vvochen vnd 3 tage vorhin für vnſerm vnd vnſers Stiffts Munzmeiſter verfolget vnd erfordert —— Es vvere dan ſach, das dem Kläger gen ſie — fur vnſerm Munzmeiſter — nicht mogte binnen vorgemeldter zyt vmb ſine forderunge vnd klag recht oder fruntſchafft vviederfahren, ſo mogte darnach der kläger ſin — fur vnſer geiſtlich oder vverntlichen Richter vnd Gerichte zihen, vnd fordern, da ſie auch alsdan ſolten gehorſam ſin vnd vverden, zu gericht zu ſtehen vnd zu antvvorten nach recht vnd lauff deſſelben vnſers Gerichts —*

(*b*) Solis sociis permissum erat, facere argentariam, numumque commutare. Vnde si quis aurificum uel argentum uenderet, uel rei numariae negotiationem exerceret, in noxa erat; tam monetae Magistro, quam Sociis domus debitas persoluturus poenas; unicuique horum quidem quinque, illi uero sexaginta solidos (*Schilling*) pendendo.

(*c*) Nulli concessum erat, Moguntiae uel aurum uel argentum emere, idque ad officinas monetarias extraneas transuehere, nisi praeuio Sociorum praescitu atque consensu.

(*d*) Solis sociis de moneta adulterina cognoscendi facultas erat, potestasque. Falsa, quam offendebant, ac improba moneta cedebat Magistro. Cui contra incumbebat, illa ipsa ahenum coemere, ut secundum morem ac consuetudinem ciuitatis ac terrae iudicium in adulteratorem exerceretur (*und iſt er darum ſchuldig einen Keſſel zu kauffen, das man richte über den Felſcher nach des lands recht und gewohnheit*)

(*e*) Monetae Magistri erat, omnes aurificum stateras ac pondera, institorum itidem ulnas examinare. Quandocunque igitur illi collibitum erat, & quo collibitum erat modo, una cum Iudicum quopiam & ciuibus duobus, honesto domi loco, uitaeque integritate spectatis, circumibat, trutinas & ulnas inspiciebat, pondera ad libram exigebat cet. Quos fraudulentis

lentis uti deprehendebat, poena tenebantur. Erat autem ea sexaginta solidorum; quos unumquemque fraudis reum ei soluere oportebat.

(*f*) Quin & id praerogatiuae iis datum erat, si contingeret, Archiepiscopum cum electo Romanorum Rege ante Francofurtum in castris se tenere, & in eisdem simul esse delectam ciuium manum; uel ad bellum eundem ire, & simul cum eo ciuitatis copias, ut quotquot Sociorum cum ciuibus in expeditionem istam iuissent, illius & salutem custodirent, & iussa reuerenter exspectarent.

Maioris lucis caussa dabo hic, quae ipsi hac de re perhibuere, dum an. MCCCCXXI, Lunae ante festam *D. Virgini* lustratae feriam, in domo ad Viuarium de iure respondebant Archiepiscopi. Sic autem in actis tum annotatis: *Anno Domini 1421 vff den nehsten Montag fur vnser Frauwen tag Purificationis, als der Erwurdige in Got Vatter vnd Herre, Herr CONRAD Ertzbischoffe zu Mentz, vnser gnediger lieber Herre, in dem Diergarten was, da deilten die Hussgenossen zu Mentz demselben; Wan er mit einem Römischen Kunig vor Franckfurt lege zu felde, vnd die Statt von Mentz, und welche Hussgenossen dan mit der Statt ussewehren, die mag er by sich nemen; die sollent sin libs vnd siner Kamern warten —— Auch hat man vmbgeteilt, wann ein Ertzbischoff zu Mentz vnd die Statt von Mentz mit ihm zu felde liegen, was Hussgenossen dan mit der Statt zu Mentz ussewehren, die mag der Ertzbischoff by sich manen, vnd sollent sines libs vnd siner kamern huden.*

VII

Hac enimuero praeeminentia tantam sibi ciuium plebeiorum contraxerunt inuidiam, ut res semel atque iterum in magnum excederet certamen. Primum sub an. MCCCXXXII. Tum enim plebeii querebantur, gentis feminas patriciae non semel nupsisse ciuibus plebeiis. Ex id genus coniugiis natos dein se aggregare Patriciis: quorum proinde numerus indies augeatur; quum contra tribus decrescant ac debilitentur. Dein ex plebe nonnisi XXII in Senatum adsciscì; cum tamen tribuum sint XXIX. Volebant igitur, ut unusquisque, qui iure ciuitatis frui uelit, in XXIX harum aliqua censeatur. Senatus uero constituatur secundum numerum tribuum; hoc quidem modo, ut unaquaeque illarum suo ex corpore, suisque ipsa suffragiis Senatorum in ordinem unum quempiam cooptet. Quas conditiones, ceu duriores, cum Patricii repudiarent, e plebe ciues, impetu illorum in aedes facto, omnique armorum genere ablato, superbe in eos insultabant. Contra, qui in Rhingauiae tractu, alibique locorum praedia habebant, Patricii ciues, negotiorum caussa urbe egressos inquietabant, affligebant, raptabant, & quoscunque poterant, captiuos abducebant.

VIII

Res tandem, Vormatiensium, Spirensium, & Francofurtensium studio ac labore, ad concordiam his adducta conditionibus est: *Patriciorum* familiae ad CXXIX reducantur. Hae *Antiquiorum*, germanice *der Alten*, habeantur loco. Praeter illas unusquisque, qui in posterum in ciuitatem recipi uelit, in tribuum aliquam transeat. Ex qualibet tribu unus adsciscatur in Senatum. De cetero *Patricii* siue *die Alten* modo, quem usque huc in constituendis e corpore suo Senatoribus tenuerint, & deinceps utantur; dimidiumque praeterea muniorum publicorum administrent*.

* Istis additum, (1) omnium iniuriarum, noxarumque memoriam sempiterna obliuione delendam. (2) Loricas & arma iis, quibus ablata, restituenda, uel aequo pretio ab eis redimenda. (3) Spolia itidem cetera spoliatis quatuordecim intra dies reddenda. (4) Captiuos utrinque sine ullo lytro dimittendos liberos. (5) Aequam cuique potestatem faciendam libere tum urbem ingrediendi, tum ea egrediendi. (6) Debita publica ab uniuersitate, pro parte, quae cuique contigerit, dissoluenda. (7) Iura negotiatoribus, tabernas mercatorias habentibus (*den Gadenherren* uulgo) concessa, salua relinquenda, integraque.

IX

Enimuero, ad exiguum tempus durauit haec concordiae conciliatio. Quum enim exteri nec ciuitatis ius amplius ambirent, nec Patriciorum connubia, & plebeiis & his non una querendi fuit materies. Accedebat, quod illi, qui Patriciorum ordine moti, atque in tribus relati fuerant, nil penſi, moderatique habentes, Antiquiores, ut uocabantur, ſuperbe, inſolenterque inſectarentur.

X

Quam maxime uero in neruum erupit haec inter eos contentio, diſſenſioque ciuilis, dum *Rupertus* Caeſar, & *Conradus III* Archiepiſcopus ſollenni pompa in urbem εισέλασαν. Cum enim tum uterque Conſulum regentium aduentantem excipere uellet, foedis omnino certaminibus res agebatur. Patricii dedignabantur, Conſulem plebeium ſuum in agmen recipere: e plebe ciues ipſi ſeparatim equis uecti prodibant. Et quum an. MCCCCXX Patricii hos celeritate anteuertiſſent, & quo minus Conſul e plebe *Conradum* Praeſulem publico nomine alloqui poſſet, impediuiſſent, multitudo, nouo tumultu rurſus excitato, uim illis intentauit, irruptione in aedes eorum facta, & conditiones eisdem ſtatuit ſatis duras. Quas cum ſine diſpendio honoris ac fortunarum ſe non accipere poſſe, probe perſpicerent, qui potiori illos inter erant loco, maluerunt urbe demigrare, quam ad tam iniquas leges deſcendere. Atque adeo quidam commigrabant Francofurtum; alii Oppenhemium; nonnulli in Rhingauiam nomina dabant; pars in agrum urbi circumiectum, uulgo das Gaw, ſe transferebant; alio alii; omnes ex *Furſtenbergerorum*, *Gensfleiſchiorum*, *Gelthuſiorum*, *Malsbergerorum*, *Humbrachtiorum*, *zum Iungiorum*, quae nobiliſſimae erant, familiis.

XI

Qui remanſerant, cum ciuibus e plebe, anno tandem MCCCCXXX, iterato Vormatienſium, Spirenſium, & Francofurtenſium, cum maxime uero Archiepiſcopi, qui tum Sedi praeerat, *Conradi*, nominis huius *III*, ſtudio atque labore, ex inimicitia in gratiam certis reuenerunt conditionibus; de quibus *Conradus* ipſe in ſequentibus tabulis.

Wir CONRAT, von Gotes gnade, des heiligen Stuls zu Menze Ertzbiſchoff, des H. R. R. in dutſchen landen Erzcanzeler, bekennen vnd tun kunt allermenglich, die dieſen brieff ummer anſehent, leſent, oder horent leſen, daz wir betrachtet han ſoliche irrunge vnde zweydracht, ſo leyder yzund in den landen gemeinlichen ſint, unde me dan bisher gewonlich iſt, von tage zu tage in dutſchen landen ſich erhebent, vnd beſunder ſoliche zweyſchillicheit die bisher in der Stat Menze zwuſchen den Erſamen, den von den alten Geſchliechten vf ein, vnd den Erſamen Burgermeiſter vnd Rait, Gemeinde vnd Burgere gemeinlichen zu Menze vf die andere ſiet erhaben, uffer ſtanden vnd ergangen hait, vnd zu beſorgen, wo die nit widerſtanden vnd hiengelacht wurden, daz dardurch nit alleyn der Stat Menze, ſunder anſtoſſenden landen vnd luten, ſchade, irrunge vnd verderplichkeit, beyde in geiſtlichen und werntlichen ſtate, enſteen mochte; darumb ſolichs in zyt zu vorkommen, vnd nach beſondern gnaden vnd willen, als wir zu den obgemelten, der Stat Menze, den Geſchliechten, Burgermeiſtern, Rait, vnd Gemeinden gemeynlich han, als billig iſt, nachdem ſie vns gewant ſin; ſo han wir Got dem allmechtigen zu lobe vnd zu ern, guten weſen vnd friedden der obgenanten Stat, mit byweſen der Erſamen, vnſer lieben beſundern

ſundern, der Stette Wormis, Spier, *vnd* Francfurt *erber Rete, die obgeſchrieben parthien mit ir beyder wiſſen vnd bewilligunge fruntlich vnd gutlich darumb ubertragen, geſlacht vnd geracht zu ewigen tagen, in der maſſe hernach geſchrieben ſteet.*

Mit namen vnd zum erſten, als von des Raits wegen zu Menze den zu beſtellen, als dan itzunt XXXV in den Rait geen, das nu furbas zu ewigen tagen XXXVI in den Rait geen ſollen; derſelben ſollent ſin XII von den alten Geſchliechten, vnd XXIV von der Gemeynden, vnd als ytzund nit mee dan III Menner von den Alten in dem Rait ſitzen, ſollent die von den Alten bynnen dies iars friſt IX dazu kieſen, nemlich an der ſtat di itzund an der zale XXXVI gebrechen; es were dan, ſolch ampt von uffgebunge wegen ader anderſt ledig weren ader wurden, vnd wer es ſache, das bynnen diſſem nehſten iare nit als viel ire Rait-ampt vffgeben, ader ſuſt von todes wegen, ader anderſt ledig wurden, das ſie an derſelben ſtat ire zale zwolfe mit namen erfullen mochten, ſo ſollent ſie doch bynnen dieſem iare ire zale zwolff kieſen, die mit den von der Gemeinde, die itzund in den Rait geent, ob der wol mee dan XXIIII vveren, zu Raite geen ſollen, vnd ſollent die von der Gemeynden, di itzund in den Rait geent, auch in dem Raide verlyben, bis als lange das ir eins teyls ire Rait-ampt uffgeben vvurde, ader van todes vvegen, ader ſuſt ledig vvurde, bis das es kompt an die zale der XXIIII. Daby ſol es dan furter von der Gemeynde vvegen verlyben, vnd zu evvigen tagen an der zale XXXVI, der XII von den Alten vnd XXIIII von der Gemeynde ſin ſollen vnd verlyben, vnd vff vveliche ſyten einer ader me dan abegeende vvurde, ſal der Rait gemeinlich, ader das merteil an der abgangen ſtat vſs der ſyten, da dan gebreche vvere, einen ader me, als viel dan ſich geburet, raitber biederber menner, die nit vnder XX iaren alt ſin, ane geuerde kieſen vff den eyd.

Wer es auch, da Got lang vor ſy, das die von den Alten, ſo ſich gebart, dem Rait gemeynlich vff ire ſyten zu kieſen, nit raitber menner hetten, ſo mocht der Rait gemeynlich vff das mal an der abgangen ſtat vſs der Gemeynden kieſen, vnd vvas ſich darnach geburt: da aber ein Rait-ampt ledig vvurde, ſo ſulde der Rait gemeinlich in der abgangen ſtad, vnd vſs der ſyten, daruff dan gebreche vvere, einen ader me andern vff den eyd kyeſen, alſo, das die zale, als vor geſchrieben iſt, vff beyden ſyten erfollet vverde; vnd ſal man das auch alſo furte halten, als dicke ſich das geburen vvurdet, in aller maſſe, als vorgeſchrieben ſteet ——

Es ſollen auch nu furbas affter dieſem iare zu evvigen tagen nit me dan dry Burgermeiſter vnd dry Rechenmeiſter ſin, alſo, das die von der Gemeinde zvvey Burgermeiſter vnd zvvey Rechenmeiſter haben, vnd die von den Alden ein Burgermeiſter vnd ein Rechenmeiſter; Soliche Burgermeiſter vnd Rechenmeiſter auch alle iare von dem Rade gemeinlich gekorn ſollent vverden, vff den eide, vnd ſollent auch drey ſclueſſel ſin zu der Stat ſiegel, damit man der Stat Miſſiven pleget zu beſiegeln; der iglicher Burgermeiſter einen haben ſol. So ſollent ſie drei ſclueſſel zu der Stat groſen vnd alten ingeſiegel vnd zu der Stat friheit; derſelben ſluſſel ein der Burgermeiſter von den Alden haben ſol; ſo ſollent die Burgermeiſter vnd Raitsheren vſs der Gemeinden den andern ſluſſel han; ſo ſoll auch die Gemeynde gemeinlich vſs den zunfften-burgere zu Menze den dritten ſluſſel haben. Desglichen ſollent auch dry Rechenmeiſter dry ſluſſel zu dem gevvelbe, darinnen

innen der Stat regiſter vnd gelt ynhalten vvurdet, haben, mit namen ir iglicher einen.

Es ſal auch der Rait gemeinlich zu evvigen zyten alle iare zvveene Bumeiſter vnd VVerckmeiſter vff ire eyde vnd ere kieſen, einen vſs den von den Alden, vnd einen vſs den von der Gemeynden. Suſt alle andere ampt in dem Rait ſollent von dem Rait gemeinlich vff eyde vnd ere, als das kein teyl eynich beſunder furteil ader vorgabe daran habe, kyeſen ——

Furbas iſt beredt, ſo der Rait ſizt, ſo ſal vff der ſyten vnd banck, da die von den Alten plegent zu ſizen, der eldeſte von den Alten anſitzen, vnd dernach der eldeſte von der Gemeynde, vnd alſo die banck furter hinuſs. So ſoll vff der andern ſyten der eldeſte vſs der Gemeynden anſitzen, vnd darnach einer von den Alten, vnd alſo furter uſſen, ye einer von der Gemeynde vnd darnach einer von den Alden; alſo das von beyden ſyten vnd bencken der ſeſs nach dem alter von den iaren, vnd doch nach vorgeſchriebenen vnderſcheiden gehalten vnd geordnet vverden ſol.

Me iſt geredt, vvan es ſich geburen vvurdet, das des Raitsfrunde innevvendig ader uſſvvendig Menze geſchickt vvurdent, vvelchem dan vnder yn der Rait bevelhet das vvort zu thun, der ſol es tun nach der anderen rait.

Es ſollent auch die Raitsherren, ſo ſie in der Stette geſeſſen ſin, nach dem alter der iare geen vnd ſteen. Auch ſollent die burger von den alten Geſchliechten blyben by iren muntze-rechten vnd gaden, gnaden vnd friheiten, ſo ſie von vns, vnſern vorfaren Ertzbiſchoffen, vnd dem Stiffte zu Menze hant, vnvertrengt vnd vngeirret von den burgern vnd byſeſſen der Stat zu Menze, vnd ſollent Burgermeiſter vnd Rait zu Menze ſie daby vor gevvalt ſchuren, ane alle geverde ——

Es ſollent auch die Burgermeiſter vſs der Gemeynden vnd die burgere vſs den zunfften von der Gemeynden der Stette porten, thorne, muren, graben, vnd ſluſſel darzu gehorig, inne haben, die beſtellen, vnd vervvaren, der Stat zum beſten, als vor alters herkommen iſt, vngeverlich ——

* f. vnd

Auch iſt gered, das die burgere von den Alten, * ire erben, zu evvigen tagen nicht plichtig ſin ſollen, noch getrungen vverden, zunfftig zu vverden, ſie vvollen es dan mit vvillen gerne tun.

Vnd vvan nun die von den Alten etliche irer frunde, mit namen Herman Furſtenberg, vvievvol der inlendig iſt, vnd auch Hennen Hirtzen, Henchen zum Gudenberg, Otte, Rudolf ſeligen ſon, zuer Eyche, Heynze Reyſen, di yzund nit inlendig ſint, Peter Genſefleiſch, die by den Alten zu dirre zit nit gevveſt ſint, nit mechtig ſint, iſt geredt; vver es das derſelben einer ader me, ader ſie alle in dieſer ſune vnd rachtung ſin, vnd ſich der gebruchen vvolten, vvan der ader die des geſonnen, ader begerten, den ader die ſolten die Burgermeiſter, Rait, vnd Burger gemelt der Stat zu Menze in dieſe ſune nemen vnd komen laſſen, ſich der zu gebruchen, als die andern, on geverde.

Wer es auch, das derſelben einer obgemelt, ader me, ſich uber lang ader aber uber kurtz vvidder die gemeine Stat, dieſe ſune vnd rachtung antreffende, tede, ader vnterſtunde zu tunde, da inne ſollen die andern von den Alten, die in dieſer ſune ſin, denſelben nit zulegelich beholffen ader beraiten ſin in kheine vvyſe, noch mit vvorten, ader vvercken, an geverde.

Auch

Auch ist Georg Gensefleisch *von beyden obgemeldten parthien in dieser sune vnd rachtung vssgenommen.*

Vnd hieruff sollent beyde parthien gutlich vnd fruntlich geracht, vnd eine vor der andern zu ewigen zyten lybes vnd gutes sicher sin: doch dass der vorgeschrieben einmudige Rait soll vnd mag alle frevele vnd missetade der burgere vnd andere by yen straffen vnd bussen, nach lude vnd vswisunge des Raits vnd der Stat zu Menze Friedebuch, also, das die straffung glich beschee, es sy in dem Raide ader vswendig des Raits, beyde von den Alten, ader van der Gemeynden, riche vnd arme, nymands vsgeschieden; vnd sal sie nymands darinnen hindern ader irren; doch also, das die andern, die solichen frevel nit gethan hetten, des nit entgelten, ader darumb gearwilliget sollent werden, ane geverde.

Auch sol der Rait keine grosse schult ader vssfart machen, ader auch keine verbintnisse mit Heren ader Stetten angeen, es sy dann mit wissen vnd verhengnisse der gantzen Gemeynden, beyde von den Alten vnd auch von der Gemeynden von den zunfften-burgeren zu Menze, ader iren frunden, burgeren zu Menze, den ein Gemeynde alsdan macht geben wurde, solichs mit einem Raite zu beslysen.

Vnd wan nu die vorgeschriebene sune vnd rachtung mit vnser beder parthien guten willen vnd massen geschehen ist, darumbe so han wir demudeglich vnd flyseglich gebeten, vnd bitten in crafft dies brieffs den Erwurdigen in Got Vatter vnd Herren CONRATEN, Erzbischoffen zu Menze, obgenanten vnsern gnedigen Heren, vnd dazu die Wurdige Heren des Capituls zum Dume *zu Menze, vnd auch die Ersamen Wisen* Burgermeister vnd Rete *der dryer Stete*, Worms, Spier, *vnd* Franckfurt, *das sie ire ingesiegel an diesen brieff han tun hencken.*

Darzu so han wir Burgermeister vnd Rait der Stat Menze vnser Stat gros vnd alt ingesiegel, vnd wir die Gemeynde gemeinlich daselbst vnser der Gemeynde ingesiegel, vnd wir Clas Dulen, *der alte*, Wilckin Salman *zum alten Schulteisen*, Idel Berwolff, *vnd* Heinze Rebstock *auch vnser ingesiegel, von vnser vnd der obgemelden vnsern frunde wegen, die in dieser rachtung sint, an diesen brieff mit rechter wissen gehangen.*

Vnd wir Erzbischoff CONRAT *vnd* das Capitul —— *vnd wir* die Burgermeister vnd Rete *der dryen Stete*, Worms, Spier, *vnd* Franckfurt —————— *Datum feria tercia proxima post dominicam, qua cantatur in ecclesia Dei* Letare Iherusalem *MCCCCXXX.*

XII

Re sic ad aliquam concordiae faciem deducta, Consules & Senatus omnes, qui urbe demigrarant, citarunt, ut de pensione ab emigrantibus secundum legem ac consuetudinem praestanda atque in fiscum referenda cum ciuitate transigerent. Quorum quidem alii edicto audientes erant & se sistebant; alii se non sistebant. Quorum proin domos, aliaue, quae Moguntiae adhuc habebant, bona primum curiae subiiciebant placito; dein, cum denuo uocati non secus ac ante ad destinatum diem uenire contemnerent, sub hasta uendebant, iure ciuitatis eisdem, eorumque liberis in perpetuum ademto. Quo factum, ut aedes Moguntiae in summa essent uilitate, & quae ante bis mille florenorum uenibant pretio, tum uix quadringentis distraherentur. Contra hi, qui larem in Palatinatu, uel sub Sedis dominio, uel in Comitum uicinorum terris fixerant, Moguntinis, a quibus iniuriam

se acce-

se accepisse rebantur, uim manusque, ubi ubi poterant, hostilem iniiciebant in modum.

XIII

In funesto illo, quod posteris annis *Dietherum* inter ac *Adolfum* fuit, dissidio, plurimi *Isenburgicis* studebant partibus; quidam *Nassouicis* erant addicti. Hinc anno MCCCCLXII, cum urbs *Adolfo* prodita esset, *illi* urbe excessere, partim saltu praecipiti de muro se dantes, partim copiis auxiliaribus, dum rebus desperatis recedebant, immixti. *Hi* uero, quod sibi, rebusque suis non metuerent, in ciuitate remanserunt.